

S. MARIA CIVITATIS

In sacro Apocalypsis libro haec a divo Iohanne narrantur (cap. 21. v. 2): *Vidi civitatem sanctam, Ierusalem novam descendentem de caelo a Deo.* Divus Augustinus, quem sequuntur passim alii interpretes, docet his verbis depingi ad litteram Ecclesiam coelestem, seu triumphantem. En eius verba (lib. 22 de Civitate Dei cap. 27): *Haec de isto tempore accipere impudentia nimia est, quia illa: Absterget Deus omnem lacrymam, tanta luce dicta sunt de saeculo futuro, atque de aeternitate sanctorum, ut nulla debeamus in litteris sacris quaerere vel legere manifesta, si hoc putamus obscura.* — Alii putant in memoratis verbis Apocalypsis describi etiam militantem Ecclesiam, uti Ubertinus, Hortalanus et praecipue Turrianus (vide a Lapide sup. hunc loc.). — Non deferunt quidam adfirmantes, divum Iohannem praeluisse ad gloriam Ecclesiae Romanae sub Constantino imperatore, et deinceps subsequenibus temporibus (vide eund. a Lapide). — Dicitur enim Bernardus per *civitatem sanctam Ierusalem novam* tropologicae animam sanctam intelligi; inquit enim (serm. 27 in Cantic.): *Ego puto, omnem animam talem (sanctam), non modo coelestem esse propter originem, sed et propter conversationem, quia et origo eius de caelis est, et conversio eius in caelis sit; unde bene dicitur Ierusalem descendens de caelo a Deo.*

Verum si de Ecclesia triumphante, de Ecclesia militante, de Ecclesia Romana, et de ipsa anima sancta memorata verba intelligi possunt, profecto nemo in dubium vertet, etiam ad beatissimam Virginem ea protendi posse. Ipsa equidem a divo Germano episcopo Constanti-nopolitano nuncupatur *Civitas Sancta Ierusalem* (orat. in Deip. nativ.); *sancta*, inquam, quia Deo fuit semper mancipata; et *Civitas*, in qua pax suae primordii suae conceptionis ad extremum usque vitae regnavit: ipsa a divo Iohanne Damasceno salutatur *Civitas Dei*, *quam laetificat fluminis impetus, scilicet Spiritus Sancti gratiarum et donorum fluxus* (orat. 1. in Deip. nativ.); denique Richardus (lib. 2. part. 3) sanctissimam Deiparentem in civitatibus refugii, de quibus sermo est in libro Iosue (cap. 21. v. 36) adumbratam agnoscit.

Opportune igitur inter caeteros titulos, quibus beatissima Virgo condecoratur, ille etiam recensetur *SANCTAE MARIAE CIVITATIS*.

De hoc titulo in praesenti tractatuncula ali-

qua delibare proposuimus, ut Marianarum laudum praecognitionibus diserte et concinne loquendi argumenta non desint. De more igitur in antecessum historicam descriptionem cultus beatissimae Virginis sub hac denominatione exponemus; deinde vero Deiparae hoc nomen congruere demonstrabimus.

Historica descriptio cultus sacrae iconis S. Mariae Civitatis (vulgo della Civita) in oppido Marmoratae (vulgo Itri), in Campania, archidieccesis Caietanae.

Pie traditur, juvenalem Patriarcham Constantinopolitanum, iconem beatissimae Virginis, illa adhuc inter vivos agente, a divo Luca depictam, dono dedisse Eudoxiae; hancque illam Palcheriae Augustae transmississe (vide Nicephor. lib. 29 cap. 4, necnon opus P. Seraphini a Montorio, cui titulus *Zodiacus Mariani*).

Subsequenti aevo, Petri cathedram Nicolao V. Pontifice Maximo occupante, opera Mahumedis II ingens persecutio excitata fuit contra christianos, praesertim in urbe Constantinopolitana. Duo monachi ordinis divi Basilii, vulgo nuncupati *Calogeri*, ut sacram beatissimae Virginis effigiem ab impiorum manibus eriperent, illam in quadam lignea arca, seu capsula, incluserunt et alibi asportandam curaverunt. Contigit autem, Deo sic permittente, ut ab infidelibus deprehensi essent, qui, arca reserata, cum in ea speratas divitias non invenissent, incredibili rabie acti, in eadem arca, simul cum Deiparae effigie pios Calogeros clauserunt, ipsamque arcam in mare deiecerunt. Verum illud profecto mirandum est, quod magna tempestas illico oborta arcam praedictam ad Ciliciae oras transiecit, ubi, cum arca ipsa haudquaquam a viris laicis illius loci custodibus aperiri potuisset, Episcopo accito, ab ipso facili negotio fuit reserata, in eaque, una cum beatae Virginis effigie, duo Calogeri vivi et incolames reperti fuerunt; qui, veluti septem Sancti Dormientes, per dies quinquaginta quatuor, prope imaginem suae dilectissimae matris et patronae Mariae, in memorata arca dulci somno correpti, prodigiose vixerunt.

Quo pacto et qua aetate eadem sacra icon ex Cilicia in Itri oppidum in Campania, ubi nunc colitur, translata fuerit, prorsus ignoratur. Illud

tummodo fama narrat, quod huiusmodi translatio prodigiosa fuit.

Hoc tamen in comperto est, quod haec sacra icon, anno 1527, cum dira pestis Itri grassaretur, inibi iamdudum extabat; nam, cum sacra supplicatio fieret, et simulacram antedictum per vias oppidi efferretur, ipso apparente, lues illico in forma caliginosae nubis evanuit. Id contigit die vigesima prima Iulii; quae dies quotannis, ob tanti beneficii memoriam, festiva commemoratione celebratur.

Opus maxime molis profecto esset narrare, quae quaque prodigia colentes praedictam sacram effigiem consequantur. Illuc non modo ex propinquis, sed ex longinquis etiam et dissitis regionibus Christifideles advolant, sive ad imploranda beneficia, sive ad grates pro acceptis rependendas.

Ecclesia, in qua memorata icon colitur, aliquando *Sancta Maria de Constantinopoli* dicta fuit, a primitiva imaginis commemoratione: aliquando, Graeca denominatione, *Sancta Maria Odgyriae* fuit appellata. Verum receptiori titulo, a nomine proximi montis, *Sancta Maria Civitatis* (della Civita) nuncupatur.

I

Deipara est mystica Dei civitas.

Triplex mystica civitas a supremo rerum omnium opifice aedificata reperitur. Primam Deus optimus maximus in caelo aedificavit, naturam scilicet angelicam. Sed protinus magna huius civitatis pars corruit, superbiae fulgure illam devastante (Luc. cap. 10. v. 18). *Fi debam Sathanam sicut fulgur de caelo cadentem.* Alteram Deus civitatem sibi condidit, naturam scilicet humanam: sed, ebul flante illo vanitatis vento, quem serpens excitavit, dicens (Genes. cap. 3): *Eritis sicut Dei, scientes bonum et malum*, brevissimo tempore et in ictu oculi etiam haec civitas firmiter aedificata, corruit. — Ex huiusmodi memoratis civitatibus, in quibus per suam gratiam habitare decernerat, Deus electus fuit per peccatum. Verum tertia tandem firmiter civitas erecta fuit quae, non super lapides impolitos, sed, instar coelestis Hierusalem, super pretiosissimas supernarum gratiarum margaritas mirifice fuit fundata, et ne ab infestissimo hoste unquam expugnari posset, fortissimis propugnaculis undique fuit circumdata.

Mystica haec civitas solius Dei fuit, adeo ut congrue de ipsa usurpari possint verba illa: *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei* (Ps. 86 v. 3). David statim alque constitutus fuit rex super omnes tribus Israel, et unctus in Hebron, cepit arcem Sion, expulsus inde Iebusaets, et eam de suo nomine appellavit, sedem ibi fixit et Civitatem suam nominavit (2. Reg. cap. 5. v. 9): *Habitavit David in arce et vocavit eam civitatem David.* Verum ille, de quo Angelus Gabriel dixit (Luc. cap. 1. v. 32): *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum*; ille, quem caecus Iericho sic de-

precatus fuit (Mare. cap. 10. v. 47): *Iesu fili David, miserere mei*; ille, cui pueri Hebraeorum sic acclamaverunt (Matth. cap. 21. v. 15): *Hosanna filio David*, quoniam per unionem hypostaticam consecratus fuit in utero Deiparae Virginis et Christus, sive unctus nominatus fuit, appellavit Deiparam *Civitatem suam*, eo quod in ea habitare decrevit. Haec mystica civitas appellari potest *Magnopolis*, quemadmodum Pompeius nominavit a se conditam civitatem; imo potiori iure, nam ipsa Deipara in domo Elisabeth de se dixit (Luc. cap. 1. v. 49): *Fecit mihi magna qui potens est.* Commodius tamen sanctissima Virgo Theopolis dici potest, seu *civitas Dei*; nam si Iustinianus Antiochiam hac illustri denominatione nobilitavit, ut narrat Nicephorus (lib. 17 v. 3), quanto magis eadem appellatio Mariae quadrabit? Quemadmodum autem de civitate Sion Dominus dixit, quod rex Assyriorum in ea nunquam ingressurus erat: *Non ingredietur urbem hanc nec mittet in eam sagittam, proterganeque urbem hanc, et salvabo eam propter me et propter David servum meum* (4. Reg. cap. 19 v. 34); non absimiliter Deus adeo beatam Virginem sua omnipotentia gratia munivit et custodivit, ut iniquissimus Assyriorum rex, nempe daemone, non solum in illam per actuale peccatum ingredi, sed ne in eam quidem peccati originalis sagittam iacere potuerit. Et ra quidem vera, merito sagittae comparavit Deus originale peccatum, quia quemadmodum sagitta a longe proicitur ut vehementius vulneret; sic daemone a longe, id est a principio mundi, omnes homines sagitta peccati originalis vulneravit; sed illa sagitta Sathan Virginis benedictae animam confingere prohibitus est, singulari et prorsus novo privilegio. Id autem Deus se fecisse fateatur propter se, et propter David servum suum, id est ad ostendendam suam omnipotentiam et dilectionem erga suam primogenitam filiam, et propter Christum benedictum filium suum, ad cuius dignitate spectabat civitatem istam regiam custodire, quia in medio eius, id est in eius utero sanctissimo, regnatura erat: quare optime Propheta cecinit (Ps. 46 v.): *Deus in medio eius non commovebitur*; scilicet non commovebitur ab ea, neque per actum peccati proprium, seu actuale, neque per actum peccati alienum, seu per peccatum originale.

Insuper Sion dicta fuit *Civitas Dei*: beatissima autem Virgo civitas Sion merito comparari potest. Re quidem vera Sion speculum sui speculationem significat: Radulphus autem Ardens (in Assumption. Virg. Mariae) ait: *Quis scit fuit Sion, id est speculatus, ut Maria? Quae civitas sic fuit sanctificata, ut civitas et claustrum Dei, Maria? Quis fuit sic Ierusalem, id est pacificus, ut mediatrice Dei et hominum, Maria? Ubi advertit:*

1. In Deipara fuit a primo conceptionis instanti fides perfectissima, quae omnem motum, etiam primo primum, dubitationis excluderet; et tunc cognovit distincte mysterium Trinitatis et mysterium Incarnationis, saltem quoad substantiam; scilicet quod Verbum, seu secundum,

Trinitatis persona esset carnem assumptura ex aliqua muliere: ignoravit tamen aliquas circumstantias, quas temporis processu didicisti, ut patet ex Evangelio. In ea cognitione, seu speculatione Dei superavit Angelos; illi enim sunt servi Dei, Deipara vero est mater, quae aeternae iustitiae solem intra se recepit et mundo dedit. S. Anselmus (hom. in evang. *Intravit Iesus in quoddam castellum*) ait: *Christus in Maria; ergo Dei virtus et Dei sapientia et omnes thesauri sapientiae et scientiae in ea. Et* (lib. de excell. Virg.): *Licet ipsi Apostoli per revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, et per hoc multa ei per hunc revelabantur, quae in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat.*

2. Verisimiliter est, habuisse B. Virginem cognitionem supernaturalem per se infusam, quoad lumen et species, ita ut obiecta fidei modo angelico per altiores species illi fuerint divinitus proposita, independentem a phantasmatis: ita Suarez (in 3. part. divi Thom. tom. 2. q. 37 disp. 19 sect. 3); et sic probat: Primo, fuit totus hic modus cognitionis non solum possibilis, sed etiam facilis, et multum conferre potuit ad maiorem et perfectiorem usum gratiae sanctificantis, et non excedit limites viatoris; quin potius in viatoribus angelis inventus est. Ergo valde credibile est, concessum fuisse B. Virgini. — Secundo, multa privilegia concessa creduntur B. Virgini, quae vel hunc modum cognitionis requirunt, vel certe, illoposito, facilius et commodius intelliguntur: ut verbi gratia, quod in primo instanti suae conceptionis fuerit sanctificata. Item, quod toto tempore infantiae habuerit usum rationis circa res divinas. Item quod tempore somni, in Dei contemplatione et amore occupari potuerit: quae omnia, et si quae sunt alia id genus, facile intelliguntur, positio praedicto modo cognitionis per se infusae, et sine illo intelligi nequeunt, absque aliis permixtis miraculis. — Tertio, hoc modo recte etiam intelligitur, potuisse beatam Virginem in statu vitae nunquam desistere ab actuali aliqua divinarum rerum consideratione, absque corporis impedimento, aut defatigatione corpus enim non defatigatum contemplatione intellectus, nisi propter necessarium eius cooperationem et phantasmatum concomitantium. Decuit autem animam B. Virginis, ex quo creata est, nunquam a Dei cognitione et amore cessare. (Suarez dicto loc.) — Quarto, hoc etiam modo intelligimus potuisse Virginem altius et perni- ti, quem perpetuo habebat, praevenerit in se et cohibere omnem inordinatum motum. Ita memoratus Suarez, qui ait, hanc fidem et sapientiam infusam fuisse omni tempore in Virgine, non tamen semper cum eadem perfectione, sed in singulis actibus, atque per eam intellexisse omnia, quae illo tempore erant opportuna, et per ratione status decebant. Ipse etiam auctor (sect. 4) docet, pie ac probabi-

liter credi posse, B. Virginem in hac vita interduam elevatam fuisse ad videndum clare divinam essentiam brevi tempore: idem docet S. Antoninus (4. part. tit. 15) (Gerson (Alphabeta 15 tit. 8), Ubertinus Cassalius (lib. 1. arboris vitae Crucifixi cap. 9), Villanova Archiepiscopus Valentinus (in serm. de resurrect.) et alii. — Ergo recte beatissima Virgo comparari potest civitati Sion, ob contemplationem, seu speculationem divinarum.

— Adhaec Deipara est civitas Dei, in ea enim mansit Deus et tota eius aula ac principes. — Primo itaque ibi Rex Christus (Ps. 47. v. 1): *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius. Civitas regis magni optimo iure dicitur Deipara* (Ps. 47 v. 3). reges enim eligere solent in locum propriae habitationis et in sedem sui regni meliorem et elegantiorum civitatem: verum quanam mystica civitas melior, nobiliorque Dei genitricis Maria? numne angeli? numne reliqui homines? . . . Ipsa profecto est creatura inter omnes alias privilegii cumulatifima. Civitas haec fuit semper fidelis et subdita regi suo et a primo suae conceptionis instanti semper eius obtemperavit legibus et voluntati: obtemperavit in domo paterna; obtemperavit, cum trimula, Deo invitante, in templum se recepit; obtemperavit quando ad ad Angeli legationem respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. cap. 1. v. 38); obtemperavit quando, angelo praecipiente, in Aegyptum fugit; obtemperavit quando, licet lex pro se lata non esset, tamen instar caeterarum mulierum puerperarum, purificationis se subiecit in templo; obtemperavit denique iuxta crucem filii sui stando. Si ergo haec mystica Mariana civitas fuit omni tempore fidelissima, meruit ut Deus in ipsa figeret suam regiam sedem.

In Proverbiis Salomonis legitur (cap. 20. v. 8): *Rex qui sedet in solo iudicii dissipat omne malum intuitu suo: et ex hoc patet quod malum culpaenq. undquam extitit in Deipara Virgine, ne ad momentum quidem Rex summus qui in illa civitate sedet, hoes semper illi coercuit ac profligavit, ut nunquam ad eam accedere praesumerent. — Secundo, ibi principes Angeli: a rege enim et eius throno non discedunt (Ps. 46 v. 9): — *Deus sedet super sedem sanctam suam. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* — Tertio, in ea civitate multus est populus; est enim mater omnium fidelium. Apostolus dicebat Philippensibus (cap. 1. v. 7): *Sicut est mihi iustum sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde meo: et in Thronis Hieremiae (cap. 1. v. 1) Sion illa dicitur civitas plena populo . . . domina gentium . . . princeps provinciarum.* — Quarto, in ea civitate sunt domus multae et pulcherrimae; hoc est varia virtutum habitacula. In Psalmo 47 (v. 4) legitur: *Deus in domibus eius cognoscitur.* Idiota (in contempl. de B. M. cap. 2) inquit: *Non defuit tibi, o Deipara, puritas angelorum, non fides patriarcharum, non zelus apostolorum, non patientia marty-**

rum, non sobrietas confessorum, non innocentia aut humilitas virginum. In summa, nullo genere vacasti virtutum. — Quinto, in ipsa mystica civitate non deest templum veri Salomonis, omni templo, ipsoque coelo augustius. Ecclesia aperte id docet, cum inquit (in Breviar. Rom.): *Templum Dei factus est uterus nascentis virum. . . Templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti. In eo templo est arca, ubi, non tabulae legis, sed ipse legislator repositus fuit; non virga prodigiosa Moysis, sed ipse prodigiorum auctor; non manna deserti, sed manna de coelo descendens. In eo templo reperitur altare thymiamatis in oratione, mensa panum propositionis in operibus misericordiae, candelabrum aureum in lumine contemplationis. — Sexto, in ea civitate sunt fontes liberalitatis. — Ipsa B. Virgo illa Ecclesiastici verba usurpare potest (cap. 24 v. 40): *Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi fluvii dioryx (id est aquaeductus) exiit de paradiso. — Septimo denique, in ea civitate est murus constantiae, et turris hostibus quibuscumque inaccessibilis, omnia haec secunda faciens. Apud Zachariam (cap. 2. v. 5) legitur: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: et in libro Cantuorum (cap. 4. v. 4): Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clipei pendent ex ea, omnis armatura sortium.* Verum de muro istius mysticae civitatis maiori proximitate inferius pertractabimus.**

II.

Mysticae Marianaec civitatis fundamenta.

1. In primis et ante omnia exponere praestit, quoniam fundamenta iecerit huius magnifici Mariani aedificii.

Templi Ierosolymitani fundamenta a Salomone posita fuerunt, uti habemus in libro 2. Paralipomenon (cap. 3. v. 3): *Et haec sunt fundamenta, quae fecit Salomon, ut aedificaret domum Domini.* Ecclesiae Corinthi fundamenta evangelium praedicando iecit Apostolus Paulus, uti ipse testatur (1. ad Cor. cap. 3. v. 10): *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui.* Verum mysticae Marianaec civitatis fundamenta ab homine poni non poterant; quippe in ea totum aedificium spirituale fuit supra naturam. De huiusmodi autem fundamentis intelligi potest illa Dei promissio per Isaiam enunciata (cap. 28. v. 16): *Mittam in fundamentis Sion lapidem, ut sapiens architectus loco aeger, aridus et montibus frequens, sexaginta stadiorum latitudine, adeo ut iumentis et equis arduum esset ad illum accessus. Aegre illuc duci poterant equitatus aut elephantis . . . Accessus difficultas magnum erit celebrissime urbis robur, ipso urbis situ actum, quippe quae duobus, tribusve montibus insidret: quam obrem inter munitissimas totius Orientis arcus habebatur.* Verum potiori iure, quam de vera civitate Sion, de mystica Mariana civitate usurpari

fundatores, quemadmodum fundatio Romae Remo et Romulo ascribitur: sed mysticae Marianaec civitatis nemo alius potuit ponere fundamentum, praeter Deum.

Verum quoniam fuit lapis probatus, angularis, pretiosus in hoc fundamento missus et fundatus? Profecto lapis ille, quem reprobaerunt aedificantes, qui factus est in caput anguli, nempe Christus Iesus, qui de Spiritu Sancto in Deiparae utero conceptus fuit; lapis, inquam, de quo Daniel (cap. 2. v. 34), qui abscissus de monte sine manibus, hoc est de Virgine sine operatione humana, evertit statum Nabuchodonosoris, et ferrum, aes, argentum et aurum comminuit, hoc est, diaboli potestatem, mundi divitias, et carnis terrenas illecebras, et factus est mons magnus, in quo fundata est Ecclesia.

III.

Ubinam positum fuit hoc fundamentum?

Ipseregius Psaltes enunciat situm fundamentorum praecisum, nimirum montes sanctos (Ps. 86. v. 1): *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Per montes sanctos Iacobus Tirinus intelligit montem Moria et montem Sion. Circa Ierosalem erant alii vicini montes, de quibus ipse David in Psalmo centesimoquagesimoquarto (v. 2) loquitur, cum dicit: *Montes in circuitu eius.* Doctissimus Calmet (in suo Dictionar. historico. critic. etc. S. Scripturae, ad verb. *Montes* et ad verb. *Ierosalem*) observat, quod Iudaea montosa erat, sed montibus ut plurimum amoenis, feracibus et culturarum patientibus. Ipse auctor catalogum texit montium Scripturae celeberrimorum, qui fuerunt memini, nempe montis Horeb in Arabia Petraea, montis Sinai, montis Gelboe, montis Thabor, montis Engaddi, montis Libani, montis Garizim, montis Calvariae, montis Hebal, montis Moria, montis Olivarum, montis Carmeli, montis Hermon, aliorumque multorum. Haec de montibus totius Iudaeae. Intra Ierosalem vero, sive in eius pomeriis, alii colles et montes reperiebantur, qui civitatem ambiabant: *Montes in circuitu eius* (Ps. memorato). In monte Sion et ad septentrionem Ierosalem David novam urbem construxit, quam Iiximus appellasse nomine suo, et in ea posuisse domum regiam; et in monte Moria templum Domini Salomone aedificavit.

Laudatus P. Calmet in snis Commentariis super Psalmos David (Ps. 124. v. 2), loquens de civitate Ierosalem, haec scribit de montibus illam urbem circumstantibus: *In editissimo totius regionis loco sedebat Ierosalem: hinc fit, ut umbrosae terrae a Iosepho Hebraeo appelleretur. Circa ipsam lapidosus erat ager, aridus et montibus frequens, sexaginta stadiorum latitudine, adeo ut iumentis et equis arduum esset ad illum accessus. Aegre illuc duci poterant equitatus aut elephantis . . . Accessus difficultas magnum erit celebrissime urbis robur, ipso urbis situ actum, quippe quae duobus, tribusve montibus insidret: quam obrem inter munitissimas totius Orientis arcus habebatur.* Verum potiori iure, quam de vera civitate Sion, de mystica Mariana civitate usurpari

potest illud memoriali Psalmi: *Fundamenta eius in montibus sanctis*. Sancta catholica Ecclesia, sacrige Scripturarum interpretis unanimi consensione Deiparae benedictae Psalmum enunciatum accommodant; et nos tantae auctoritati innixi, ubi posita fuerint fundamenta huius mirificae civitatis, exponemus.

Sciendum est, quod *mons* in sacris Scripturis multipliciter accipi potest, uti docet clarissimus Bernardinus de Busto (in Marial. part. 1. serm. 2. in exord.): 1. accipi potest pro Christo, iuxta illud Psalmi sexagesimi septimi (v. 16. 17): *Mons Dei mons pinguis... mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*; humanitas enim Christi fuit velut mons altissimus ob dignitatem, et pinguis et coagulatus ob dona, quae ab unione hypostatica in ipsam profuerebant: in hoc monte humanitatis beneplacitum est Verbo Dei habitare in eo. Fundamentum igitur vitae beatissimae Deiparentis, idest eius conceptio, positum fuit in hoc monte sancto, nempe in Christo, qui illam, per anticipatam redemptionem, ab originali culpa praeservavit: 2. insuper per montes sanctos intelligi potest potentia Dei Patris, sapientia Dei Filii, et amor Spiritus Sancti; in quibus montibus iacta fuerint fundamenta Marianae Civitatis, praesertim in sua admiranda conceptione; 3. montium nomine venire possunt et Angeli, iuxta illud Psalmi centesimi vigesimi quarti (v. 2): *Montes in circuitu throni*, idest idem Angeli, qui sunt iuxta thronum Dei, in his montibus beata Virgo fundata est, scilicet in puritate illorum beatorum spirituum, in stabilitate thronorum, in ardore seraphinorum etc.; 4. per montes intelligi potest divina protectio, iuxta illud Genesis (cap. 19 v. 17): *In monte salvum te fac*; et illud Psalmi 130 (v. 1): *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. In hoc monte gratiae et protectionis Divinae fundata est sancta Dei Genitrix; 5. in montibus, idest in loco elevato, et longe a mari, a fluminibus et a profundo aquarum; non enim ipsa concepta est in aquis peccatorum, ita ut dicere poluerit cum Regio Psalme (Ps. 68 v. 1): *Salvum me fac, Domine, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam*: neque ipsa concepta est in abyso originalis culpae; nam de se fateretur (Prov. cap. 8 v. 21): *Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram*; sed concepta est in montibus sanctis, et ipse fundavit eam Altissimus; 6. in montibus sanctis, ibi Deiparae sanctitatis inceptum, ubi alii desierunt, et in primo illo suae conceptionis instanti plus habuit gratiae, quam ullus angelorum aut sanctorum in fine vitae suae. Suarez (in 3 part. q. 27, disp. 4. sect. 10) sic ad rem loquitur: *Pium et verisimile est credere, gratiam Virginis in prima sanctificatione intensiorem fuisse, quam supremam gratiam, in qua consummantur angeli et homines*.

Denique haec fundamenta in montibus sanctis dicuntur collocata. Quinam autem fuerint hi montes? Fuerunt profecto mons innocentiae et puritatis, mons iustitiae origina-

lis, mons divinae gratiae praeservantis, etc. Istiusmodi fundamenta haecenus, quamvis generaliter habita sint veluti inconcessa et firmissima, tamen id non erat certum certitudine fidei: verum nuper, tot catholico orbe plaudente, Sanctissimus Pontifex Pius IX, adeo ut illa regii Psalms (Ps. 17 v. 16) in gaudio usurpare possimus: *Revelata sunt fundamenta*.

IV.

Quodnam fuit fundamentum huiusmodi civitatis?

Dico cum Bernardino de Busto, cum Le Blanc, cum Cartbagena, aliisque, quod huiusmodi fundamentum fuit duplex, nempe 1. conceptio ipsius beatissimae Virginis 2. conceptio Verbi in eius sanctissimo utero. — Si Deipara non habuisset huiusmodi duplex fundamentum, profecto non potuisset ex ea exurgere illa magnifica civitas, de qua haec loquimur.

Et sane, quod ad conceptionem Virginis spectat, indubium est certitudine fidei, fundamentum solidissimum positum fuisse in illius praeservatione ab originali culpa et in cumulatione innumerorum donorum ei collatorum.

1. Ab originali culpa praeservari debuit beatissima Virgo, quia non decessit Dei matrem esse vel unico momento captivam diaboli. Nullus est enim filius, qui si potuisset, nollet matrem suam ab eo malo et similibus esse liberam: Christus autem est infinita bonitatis: cum itaque id poluerit, cur dicemus id eum non fecisse? Cum ipsa benedicta sua matre profecto in aliis legibus dispensavit. Mulier post peccatum dixit Deus: *In dolore paries filios*: haec autem lex in aliis mulieribus locum habuit, non tamen in Deipara, quae, cum sine virginali signi laesione conceperet, sine dolore peperit. — Adae etiam, post peccatum dictum fuit: *In pulverem revertetur*: verum haec corruptionis corporum lex in Virgine benedicta locum non habuit. Ergo etiam in lege originalis culpae dispensare potuit Deus, quoad Virginem beatissimam. Quod si potuit, fecit profecto. — Neque credendum est, praeservationem Deiparae ab originali labe stare non posse cum doctrina de ipsius redemptione; si enim caeteri redempti sunt a culpa, in quam inciderunt, beatissima Virgo redempta fuit a culpa, in quam incidisset, nisi fuisset ex specialissimo privilegio redempta, redemptione praeservativa et anticipata. Nicolaus Cusanus (lib. 8. in illud: *Sicut lilium inter spinas*) docet, Christum fuisse quoad Virginem liberatorem et praeliberatorem: quoad coeteros vero liberatorem et postliberatorem. — Quod attinet ad dona Deiparae collata, doctorum opinio est, quod si in unum omnia, dona Angelorum, hominumque coadunentur, haec conferri nequeant eum gratia eidem in primo suae Conceptionis instanti concessa.

— 2. Aliud fundamentum illius civitatis Dei est incarnatio Verbi, quod fundamentum est in montibus sanctis, idest in selectissimis

et excelssimis gratis. — Omnes theologi faterentur, B. Virginem a Deo suscepisse singularem sanctificationem, seu augmentum eiusdem sanctificationis in illo instanti, in quo filium concepit. si enim, ipsi dicunt, in conceptione sua Deipara Virgo accepit, ex privilegio singularissimo, primam sanctificationem, fateri oportet, quod in conceptione filii accepit singularem perfectionem eiusdem sanctificationis, ob novam et admirabilem Verbi praesentiam in suo sanctissimo utero, iuxta verba Angeli dicentis: *Spiritus Sanctus superveniet in te*. Et hoc modo sensit aperte divus Thomas (in 3 part. quaest. 27 art. 3), tunc fuisse omnino sublatum fomitem peccati a Deipara, qui iuxta illius sententiam, antea fuerat tantum ligatus; et paulo post idem Angelicus Doctor (3 p. q. 27 art. 4) docet, gratiam Virginis in filii conceptione fuisse quodammodo consummatam. Re namque vera, si beatissima Virgo, antequam conciperet Iesum, iam erat *gratia plena*, quemadmodum cum salutavit Angelus, quodnam aliud gratiae, prope immensurabile, augmentum accipere debuit in illo instanti, in quo Spiritus Sanctus in eam supervenit et filium Iesum concepit? Mirandum igitur non est, Scotum, Durandum, aliosque doctores, iam perfectam fuisse in eo instanti gratiam Virginis, ut amplius crescere non potuerit.

Albertus Magnus (in Marial. cap. 69), quem imitatur divus Thomas (opus. 60 art. 3) triplicem distinguit plenitudinem gratiae Virginis Mariae; aliam vocat *sufficiens*, quam habuit a principio; aliam abundantiae, quam dicit habuisse in filii conceptione; aliam *singularis excellentiae*, quam in solo vitae decursu consecuta est.

Denique, si Ioannes, adhuc in utero Elisabethae manens, propter Christi praesentiam fuit sanctificatus, et mater eius gratia Spiritus Sancti repleta; quid mirum, quod divinum Verbum ingrediens uterum Virginis, singulari modo illam sanctificaverit? — Doctissimus Suarez vero addit (in 3 part. div. Thom. q. 37 disp. 18 sect. 3), alia fuisse tempora, in quibus gratia Deiparae augmentata notabilior fuit, nempe in die nativitatis Christi, in die mortis et in die resurrectionis eius.

Recte igitur concludimus, fundamenta huius mirificae civitatis Dei, nempe Deiparae, collocata fuisse in montibus sanctis.

V.

Portae Marianae civitatis

Regius Psalms (Ps. 86 v. 1.) inquit: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Quoniam autem diximus, Deiparam Virginem esse civitatem Dei, videamus quae-nam sint huius civitatis portae. Nos in ea sententia sumus, quod portae huius mysticae civitatis sunt animae Deiparae; item corpus sum benedictum et virginem cum suis sensibus, visu, auditu, gustu, odoratu et tactu. De porta animae Deiparae, certum est, i-

psam dilectam fuisse a Domino, nam nemini aperta fuit, praeterquam eidem Domino. Apud Ezechielum (cap. 44 v. 2) legitur: *Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam, eritque clausa Principi. Princeps ipse sedit in ea*. Allegorice porta haec clausa est beata Virgo, in qua sedit Princeps, idest Christus Dominus. Diabolus ingredi potuit portam animae Evae nostrae protoparentis; sed porta animae immaculatae Virginis fuit ei semper clausa, et ne ad momentum quidem potuit in eam intrare.

Insuper etiam sensus beatissimae Virginis sunt portae a Deo dilectae super omnia tabernacula Iacob, quia ipsi soli paluerunt, et per eas nullum unquam vel levissimum peccatum intravit. — Verba illa Cantico (cap. 5 v. 3): *Surrexit ut aperirem dilectio meo, recle ab immaculata Christi Matre usurpari possunt*. De oculis dicitur, quod sunt porta cordis. Verum oculis suis Sanctissima Virgo vel solum Deum, vel alia propter Deum aspexit. Petrus Galatinus (lib. 7. de arcana fidei cap. 5) ait: *Virginis oculi nihil unquam inhonesti, aut illiciti aspexerunt; immo nunquam oculos elevavit, sicut caeteri homines facere solent; sed semper humi defixos tenuit, nisi dum oraret*. A Deo spiritu prophetae donata est, ut si forte quid incoessum, seu illicitum visura esset, illico eius oculi clauderentur. — Secundo, aures eius Deo uni paluerunt. Quod a Petro Galatino de oculis Deiparae didicimus, id et de eius auribus ab eo adfirmatur (loco superius memorato): *Prophetiae spiritu, inquit, Deipara donata est, ut si forte aliquid incoessum seu illicitum audiret, esset, illico eius aures clauderentur*. Divus Ambrosius vero declarat (tom. 2. in fragm. sup. cap. 30 Prov.) quam dilectae fuerint Domino illae portae, cum dicit: *Venit Christus de coelo, auro concipitur*. Re quidem vera, auribus audiendo Archangelus Gabrielis legationem, et consensus praebendo, Virgo benedicta Dei Mater effecta est. — Idem dicitur de porta oris Deiparae, a Deo dilectae, de qua dicit S. Ambrosius (lib. 2. de virginibus): *Lanua nostra, os nostrum*; idem et de aliis sensibus.

Adhaec — Porta fuit beata Virgo, in qua sedit princeps, idest Christus Dominus, cum in sacro eius utero, quasi thalamo et templo suo, ex purissimis eius sanguinibus conceptus, per novem menses habitavit; quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, scilicet Deus Patris eidem sua in divinum filium iura communicans; Deus Spiritus Sanctus eam obumbrans et foecundans; Deus Filius in ea carnem assumens; nam eadem est filia, sponsa et mater Dei.

S. Augustinus (serm. 2. de Nativit.) inquit: *Porta clausa est signaculum pudoris, immaculatae carnis integritas; non enim beata Virgo violata est partu, quo magis est sanctificata concepta*. — S. Ambrosius (lib. de instit. virg. cap. 8) ait: *Porta clausa Mariae virginitas est, et hortus clausus virginitas, et fons signatus virginitas*.

Eritque clausa Principi. Haec Ezechielis ver-

ba ita intelligenda sunt. Etiam cum Princeps per portam transibit, illa erit et manebit clausa. De fide enim est, Beatam Virginem fuisse et mansisse semper virginem, ante partum, in partu et post partum: et hoc Ezechielis textu, aliisque argumentis, theologi convellunt haeresim Ebionis et Cerinthi, qui teste Irenaeo (lib. 1. cap. 25), impie docebant, beatam Virginem ex Iosepho concepisse; haeresim Ioviniani, qui asserbat beatam Virginem fuisse in partu corruptam; haeresim Helvidii et aliorum, qui, cum eam ante partum et in partu Christi virginem faterentur, post partum tamen plures filios ex Iosepho habuisse adfirmarunt, qui propterea ab Evangelio vocantur *fratres Domini*. Et advertendum est, quod ter clausa dicitur ab Ezechiele haec porta, ad innendam virginatam Deiparae ante partum, in partu, et post partum.

Denique B. Virgo dicitur etiam porta Orientalis, quia, uti exponit divus Ambrosius (lib. de instit. virg. cap. 7), generavit Christum, qui est sol iustitiae, et cuius nomen est Oriens (Zachar. cap. 3. v. 8). Etiam Sancta Ecclesia in antiphrasibus, quae dicuntur ante festum natalitatis D. N. I. C. illum deprecatur: *O Oriens etc.*

Symbolum portae orientalis semper clausae denotat utramque Virginis conceptionem fuisse intemeratam et immaculatam, scilicet tam activam, qua concepit et peperit Christum, cuius nomen est Oriens; quam passivam, qua ipsa concepta et orta est, quasi aurora consurgens et mater Solis Orientis.

Abs re non erit haec Augustini pulcherrima verba referre (serm. 14 de Natali Domini): *Quid, ait, est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper fuit intacta? Et quid est, Homo non transibit per eam, nisi quia Ioseph non cognovit eam? Et quid est, quod Deus solus intrat et egreditur per eam, nisi quia Spiritus Sanctus impraegnavit eam? Et quid est, quod clausa erit in aeternum, nisi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum? Dicit ergo Maria: Porta facta sum caeli, ianua facta sum Filio Dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per ostia clausa, qui natus est de ventre meo, me matrem dimisit intactam. Adimplevit ventrem meum divinitate, et uterum meum non evacuavit castitate: nec in conceptione inventa sum sine pudore, nec in parturitione inventa sum cum dolore.*

Ergo Deipara Virgo simul est mystica civitas Dei et hominum, et sensus eius sunt portae eiusdem civitatis; portae, inquam, a Deo dilectae, iuxta illud: *Diligit Dominus portas Sion* (Ps. 86. v. 2); et praecipue uterum eius benedictus fuit porta, in qua Princeps sedit.

VI.

Marianae civitatis incolae et cives.

1. Primus civis et habitator mirificae Marianae civitatis est ipse Iesus Christus Domi-

mus noster. Nazareth dicitur civitas Christi, quia ibi conceptus et nutritus fuit: et propter hoc Nazareus vocatus fuit. Bethleem quoque vocata est civitas David, quia ibi natus est, et habitavit in pueritia et in adolescentia sua (1. Reg. cap. 16). Si ergo Iesus Christus Salvator noster habitavit per novem menses in ulero virginali Deiparae, et semper, per gratiam, habitavit in eius anima immaculata, recte ipsamet nuncupari potest Civitas Dei. Ad rem Psaltes regius inquit (Ps. 47. v. 1): *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.*

2. Cives huius civitatis sunt omnes iusti. Quis enim sive iustitiam acquirere, sive in iustitia perseverare potest, nisi in hac mystica Mariana civitate commoretur? — Praecipue Apostoli cives existerunt huius civitatis; Ioannes vero dicendus est eius civis peculiaris, qui accepit eam in sua.

3. Ad Marianam civitatem confugiunt etiam peccatores; est enim civitas, sive urbs refugii, ad quam cum sceleris alicuius reus pervenerit, iudicis severitatem non sentiet.

Animadvertere praestat, quod Psaltes regius (Ps. 86), postquam dixit: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, illico subiungit: *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me: Ecce alienigenae et Tyrus, et populus Aethiopiae, hi fuerunt illis.* Per Rahab intelligenda occurrit meretrix illa *Ierichuntina*, de qua legitur in libro Iosue (cap. 2. v. 1), scilicet anima peccatrix. Insuper peccator est Babylon, idest confusio, ob agitationem passionum, veluti fluctum omnia everteantium et conturbantium. Alienigena est etiam iniquus, qui abalienatus est a Deo. Item Tyrus et populus Aethiopiae etiam significant peccatores. Tyrus significat *offligens* et *afflictus*: peccator autem *afflictus* est, quia intus habet conscientiam accusantem, et quia non est pax impiis: affligit autem Deum et proximos, propter defectum charitatis. Denique populus Aethiopiae sunt ii peccatores, qui vitio denigrati sunt. — Omnes isti peccatores cives sunt mysticae Marianae civitatis, dummodo propositum habeant relinquendi peccatum.

VII.

Muri Marianae civitatis.

Isaiae (cap. 26. v. 1) legitur: *Urbs fortitudinis nostrae Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.* — Urbem mysticam esse Deiparam, nemo negabit: haec autem urbs est fortitudo nostra, protectio nostra secunda, et habitatio quieti nostra. De beatissima Virgine fortasse loquebatur Ieremias dicens (cap. 1. v. 18): *Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream et in murum aereum.* Vox *Salvator* referri potest vel ad verba antecedentia, uti ex Biblia Romana; vel ad sequentia, cum Hebraeis. Quomodo cumque sit, videamus, quinam sint *muri, et antemurale*. Divus Bernardus (serm. 5 de Assumpt. B. M.

CAPILLA ALFONSINA

U: A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta
antes de la última fecha abajo indi-
cada.

BY4254

.L3

C3

v.4

Pte.1

45132

AUTOR

ALFONSINA, Alfonso de

